

432. In aliis casibus similibus, qui in ipso s. Ministerio occurrere possunt, Sacerdos non turbetur, praesentiam spiritus conservet, et id faciat, quod ei fides et reverentia erga SS. Sacramentum inspirant.

CAPUT II.

DE ACTIONIBUS SPECIALIBUS IN SACRIFICIO MISSAE OCCURRENTIBUS.

§ I. — De Crucis efformatione.

433. Cruces fiunt extensis ac iunctis digitis dexteræ manus, si modo tempus excipias quod inter Consecrationem et Communionem intercedit, quo pollices et indices manuum, extensis aliis digitis, coniuncti manent.

434. Celebrans se ipsum, populum, aut quamcumque rem versus populum signans, manum sinistram extensam infra pectus collocat; signans vero rem super Altari vel Corporali consistentem, ut Hostiam, Calicem etc. etc., sinistram extensam super Altare collocat.

435. Dum signat vero Evangelium, sinistram ponit super librum¹.

436. In quavis benedictione per signum Crucis, parvus digitus, cum reliquis digitis coniunctus, vertendus est versus rem cui benedicatur.

437. Lineae Crucis neque adeo exiguae sint, ut Crux vix distinguatur, nec tam longae, ut rem signandam

¹ S. Rit. C. 7 Sept. 1816 ad 25.

valde excedant, ut v. g. frontem, humeros, Hostiam, Calicem, etc.

438. In quocumque Crucis signo peragendo, post primam lineam rectam, quae semper incipit a parte superiori respectu signantis, manus reduci debet ad medium illius rectae lineae, tum vero transfertur ad sinistram partem signantis, dehinc ad dexteram, ac ita linea transversa ducitur.

439. Cruces omnes exacte, distincte et modeste perficiendae sunt, sine affectata aut agitata manuum vibratione vel nimia celeritate.

440. Ad singulas Crucis lineas, quae signo fiunt aut contactu, verba diligenter sunt distribuenda. Hinc syllabae aut verba, quae Crucem in Missali depictam praecedunt, sunt pronuntianda dum prior linea recta efformatur; quae autem sequuntur, dum efficitur linea transversa.

441. Ante singulas benedictiones aut Crucis efformationes, manus, si non iam sint coniunctae, ante pectus iungendae sunt, nisi alterutra sit impedita. Post peractam vero Crucem, non iterum coniunguntur, nisi aliunde sint iungendae¹. Sic v. g. in fine *Gloria, Credo* et *Sanctus*, post Crucis efformationem, manus, quin iungantur, statim extenduntur ad osculandum Altare vel peragendam aliam actionem subsequentem.

442. Celebrans ad Altare seipsum signat ter ante gradus, ad *In nomine Patris et Filii* etc., ad *Adiutorium nostrum* etc., et ad *Indulgentiam, absolutionem* etc. post *Confiteor*; ad initium Introitus, exceptis Missis de

¹ S. Rit. C. 12 Novemb. 1831.

Requie, in fine *Gloria*, *Credo* et *Sanctus*, et in Oratione *Supplices te rogamus*.

443. Cum pollice se signat ad utrumque Evangelium; cum Patena infra Orationem *Libera nos*, cum Hostia et Calice ante utriusque sumptionem.

444. Celebrans Oblata signat statim post Offertorium, ad vocem *benedic*, et quoties infra Canonem Crux † depicta est.

§ II. — *De inclinationibus.*

445. SIMPLEX INCLINATIO seu capitis, a Celebrante fit: in accessu ad medium Altaris postquam Missale aperuerit, dum transit ante medium Altaris ex uno Altaris cornu ad alterum, vel dum ex alterutro cornu per medium Altaris, quin ibi moretur, descendit, v. g. antequam descendat ad inchoandam Missam, ad *Gloria Patri* post Ps. *Iudica* et post Ps. *Lavabo*, in *Gloria in excelsis* ad verba *Deo*, *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, *Suscipe deprecationem nostram*; quotiescumque Celebrans dicit *Oremus*, et profert SS. Nomen Iesu vel Iesu Christi, item SS. Trinitatis, nisi iam inclinatus exstet; ad nomen Mariae, Sancti de quo Missa celebratur vel cuius fit commemoratio, ac regnantis Pontificis.

446. Ad *Credo*, dum pronuntiat *Deum* et simul adoratur; in Praefatione, ad *Gratias agamus*, dum profert *Deo nostro*; ad utrumque *Memento*; ad utramque consecrationem, cum dicit: *tibi gratias agens*.

447. Caput similiter inclinatur ad *Per eundem Christum*, ante *Nobis quoque peccatoribus*, ad triplex *Agnus Dei*, ad *Benedicat vos omnipotens* dum pronuntiat vocem

Deus, et antequam ab Altari descendat post ultimum Evangelium.

448. Ad *Gloria Patri*, *Oremus*, et ad nomen *Iesu* caput inclinet versus Crucem; in Evangelio tamen, dum profert nomen *Iesu*, erga Missale. Item servandum ad nomina B. V. Mariae, Sanctorum diei, ac Summi Pontificis.

449. In Missis tamen de Requie, cum nihil commune habeant cum Officio diei, nulla fit in Canone inclinatio ad nomen Sancti occurrentis.

450. INCLINATIO MEDIA fit a Celebrante ad *Deus tu conversus* usque ad *Oremus* inclusive, ad *Oramus te Domine* usque ad *quorum reliquiae*, ad integrum *In spiritu humilitatis*, ad *Suscipe sancta Trinitas* etc., ad *Sanctus* usque ad *Benedictus qui venit* exclusive, sub utraque consecratione (cubitis super Altare positus, capite inclinato), ad tres Orationes post *Agnus Dei*, ad *Domine, non sum dignus* etc., ad sumptionem S. Hostiae et ad *Placeat tibi sancta Trinitas* etc.

451. INCLINATIONEM PROFUNDAM Celebrans facit Cruci vel imagini principali, dum e Sacratio egreditur, et post Missam cum illuc redit, capite cooperto, si Calicem deferat, quoties transit ante Altare maius, si ibi non asservatur SS. Sacramentum, vel ante insignes Reliquias publice expositas, capite ut supra cooperto.

452. Item ad infimum gradum Altaris, tam in ipso accessu, quam in recessu, ac postquam descenderit ad incipiendam Missam, nisi ibi adsit SS. Sacramentum.

453. In ipsa Missa Sacerdos caput profunde inclinatur ad *Confiteor*, donec Minister responderit *Misereatur tui*, ad *Munda cor meum*, *Iube Domine benedicere*, *Do-*

minus sit in corde meo etc., in Canone ad *Te igitur*, et ad *Supplices te rogamus* post elevationem.

§ III. — *De genuflexionibus.*

454. Genuflexio ad Altare, si dextero genu solo fiat, facienda est corpore et capite erectis; quod si facienda sit utroque genu, nonnisi ambobus genibus iam flexis caput et non totum corpus profunde inclinatur, et statim erigitur ante surrectionem.

455. Celebrans genuflectens ad Altare, semper manus hinc inde super Altare extendit, ut se sustineat, praeterquam ante elevationem SS. Hostiae; Ministri sacri vero cum genuflectant, nunquam Altare manibus tangant, sed eas ante pectus iunctas teneant.

456. Si aliquando utrumque genu flectat cum pausa, v. g. ad *expiravit*, tunc manus ante pectus iungit, usque dum sese erigat, sed antequam surgat, illas iterum super Altare extendit, ut se sustentet.

457. Qui in infimo gradu Altaris vel alibi genuflectit, eodem modo manus iunctas teneat, nisi Calicem aut aliam quampiam rem in manibus portet.

458. Celebrans genuflectit, dum ante Altare pertransit, et quidem uno genu, si ibi SS. Sacramentum asservetur, aut Reliquia SS. Crucis sit exposita, et utroque genu, si expositum sit SS. Sacramentum aut Communio Fidelibus distribuatur. Si vero transeat ante Altare, in quo alius Sacerdos elevationem facit, tunc non solum utrumque genu flectere debet, sed ibi capite detecto permanere usquedum Celebrans completa elevatione deponat Calicem. Dum autem a Choro in Missa

solemni cantatur *Et incarnatus est* etc., non tenetur genuflectere cum ante Altare transit¹.

459. In huiusmodi genuflexionibus, ob Calicem quem in manibus tenet, prius utroque genu genuflectit, deinde manu dextera caput detegit, illud profunde inclinat, cooperit, ac surgens semitam suam prosequitur.

460. Genuflexio genu dextero fit ante Altare SS. Sacramenti, et quidem ad infimum gradum seu in planitie, in primo accessu ad Altare, et in ultimo recessu cum Sacerdos ad Sacristiam redit, ac toties quoties ante Altare SS. Sacramenti sive pro aliqua processione, benedictione, etc. etc. transit; super infimum gradum autem, cum descendit ad incipiendum Introitum.

461. Durante Missae Sacrificio (vel Officio), quamdiu Sacerdos ac Ministri in ambitu Altaris manent, aut tantum ad sedilia transeunt aut inde reveniunt, semper genuflectunt super infimum gradum, vel cum stant ad Altare super suppedaneum, et quidem unico genu, sive SS. Sacramentum expositum sit, sive in Tabernaculo asservatum².

462. Sacerdos ac Ministri sacri, cum ad Altare accedunt, ubi SS. Sacramentum asservatur, prius genuflectunt, quamvis statim super gradum genuflexuri sint; et priusquam ab Altari recedant, similiter genuflectunt, quamvis modo a genuflexione surgant.

463. Ad Altare ratione Missae, unico genu flectitur ad *Et incarnatus est* etc., ante et post utramque elevationem, ante et post *Per ipsum* etc., ante et post fractionem SS. Hostiae, et postquam Calicem Sacerdos

¹ S. Rit. C. 13 Iunii 1671, in Angolopolit.

² S. Rit. C. 12 Novemb. 1831, in una Marsor. ad 53.

discooperuit et iterum cooperuit, ante *Domine, non sum dignus*, antequam Hostiam in manus accipiat, ante sumptionem SS. Sanguinis, postquam Calicem discooperuit, et ad *Et Verbum caro factum est* in Evangelio S. Ioannis.

464. Genuflectitur item ad *Flectamus genua* (excepta Missa solenni, in qua soli Ministri genuflectunt, non vero Celebrans), et quoties genuflexio in Missali indicatur, ut aliquoties fit ad Epistolam, Tractum, Evangelium, ad verba *exspiravit* vel *emisit spiritum* in Passione, etc.

465. Praeterea cum incensatur Altare in quo asservatur SS. Sacramentum, ante et post incensationem Crucis, et quoties per medium transitur.

466. Coram SS. Sacramento exposito genuflectit Sacerdos, quoties accedit ad medium Altaris, vel recedit a medio, vel transit per medium, vel ad populum se vertit ad dicendum *Dominus vobiscum, Orate fratres*, etc. et postquam ad Altare se revertit, item antequam e suppedaneo in planum descendit, et postquam e plano in suppedaneum ad Altare ascendit.

467. Celebrans cum Ministris utroque genu flectunt, dum ad Altare cantatur aut recitatur in Hymnis *Veni Creator* et *Ave maris stella* prima stropha, et in Hymnis *Vexilla Regis* et *Pange lingua* stropha *O Crux ave* et *Tantum ergo* (coram SS. Sacramento), et in Hymno *Te Deum* versus *Te ergo quaesumus*, et quidem sub integro versu.

§ IV. — *De gestis manuum in celebratione Missae.*

468. DE MANUUM CONIUNCTIONE. — Quomodo in genere manus iungendae sint, vide num. 98 et seq.

469. Celebrans manus ante pectus iunctas teneat ad Introitum, *Gloria in excelsis*, Evangelia, *Credo*, Offertorium, ac per reliquas partes Missae, nisi alia praescribatur actio vel positio. Ad *Munda cor meum* autem, *Sanctus* et *Agnus Dei* in Missis Defunctorum iunctas teneat inter se et Altare, ita tamen, ut Altare non tangat.

470. Manus iunctae super Altare ponuntur ad *Oramus te Domine*, per totam Orationem *In spiritu humilitatis, Suscipe sancta Trinitas*; ad *Te igitur*, et *Supplices te rogamus* usque ad osculum Altaris, per tres Orationes ante Communionem, et ad integrum *Placeat tibi sancta Trinitas*.

471. Cum iunguntur vero manus super Altari, sive ante sive post Consecrationem¹, ita ponantur in medio super oram mensae Altaris, ut parvi digiti dumtaxat frontem seu partem anteriorem tangant, et reliquorum digitorum extremitates absque ulla separatione a parvis digitis super oram mensae quiescant.

472. DE MANUUM EXTENSIONE. — Cum manus super Altare extenduntur, sive utraque, sive una sola, ita ponantur, ut palmae manuum extensis ac unitis digitis (excipe semper pollices et indices post Consecrationem) usque ad pulsum hinc inde super Altaris mensa extra Corporale, et a Consecratione usque ad abluionem digitorum super Corporali quiescant.

¹ S. Rit. C. 7 Septemb. 1816.

473. Celebrans super Altare manum utramque extendit, sub quolibet Altaris osculo, sub qualibet genuflexione ad Altare, ante Praefationem ad *Per omnia saecula*, et *Dominus vobiscum*, et ad *Per omnia saecula* etc. ante *Pater noster*.

474. Unam solam manum super Altare extendit Celebrans, dum altera manu aliquid agit, v. g. folia vertit, pectus percutit, Oblata signat, Patenam tenet, etc. Nunquam vero una manus in aere suspensa haereat, dum altera occupata sit, sed aut super Altare, pectus aut librum poni debet, prout actio exigit.

475. Eodem modo, ut supra n. 472, manus extenduntur super Calicem et Hostiam ad Orationem *Hanc igitur*, quin tamen pallam tangant. Hoc valet etiam in benedicendis rebus, aut personis, ubi physicus contactus non est necessarius.

476. Cum manus ante pectus extendendae sunt, ut fieri debet ad omnes Collectas usque ad verba *Per Dominum nostrum* etc. vel *in unitate Spiritus sancti Deus*, ad *Sursum corda* et per totam Praefationem, per maiorem partem Canonis, ac ad integrum *Pater noster*, ita teneantur, ut palma unius manus alteram respiciat, digiti extensi ac simul iuncti sint, eorumque extremitates distantiam ac altitudinem humerorum non excedant.

477. Manus ante pectus extendendae sunt usque ad latitudinem humerorum, et eodem modo statim iungendae, quoties dicitur *Oremus* (praeterquam ante *Pater noster*), quoties ad populum conversus Sacerdos dicit *Dominus vobiscum* et *Orate fratres*.

478. Extenduntur vero manus ut supra, n. 476, et usque ad humeros elevantur, et iterum quasi per cir-

culum ante pectus iunguntur, infra Missam dicendo: *Gloria in excelsis Deo, Credo in unum Deum, Veni Sanctificator omnipotens aeternae Deus*, ante *Te igitur*, ad *Memento Vivorum*, et in fine Missae ad *Benedicat vos omnipotens Deus*.

479. DE ALIIS MANUUM AC DIGITORUM ACTIONIBUS. — Folia Missalis ab Introitu usque post Evangelium inclusive, et a Postcommunionem usque ad finem Missae, vertantur manu dextera; dum vero Sacerdos stat in medio Altaris, habens Missale a sinistra (ab Evangelio usque ad Communionem), illa vertat manu sinistra. Interim altera manus super Altare ponitur, nisi etiam ad vertendum folium adhibeatur.

480. Pollex et index utriusque manus post Hostiae consecrationem coniuncti maneant, nisi Hostia in Corporali aut super Patenam iacens accipienda sit aut tangenda, permanentibus reliquis digitis extensis ac coniunctis.

481. Caveat ergo Celebrans ne, dum seipsum signat, Patenam sub *Libera nos quaesumus* purificat, vel pallam in cooperiendo aut discooperiendo Calice, aut Patenam sumit, pectus percutit, etc. etc., pollices et indices disiungat, aut his seipsum, Planetam, etc. tangat.

482. Calix semper accipiendus est ad nodum (praeterquam in sumptione SS. Sanguinis, in qua sumitur infra nodum[†]; et in ablutione digitorum, in qua prenditur ad cuppam); et quidem a Consecratione ad ablutionem digitorum, inter indicem pollicis iunctum et

[†] Missal. De Rit. servand. in celebr. Miss. t. X, n. 5.

tres reliquos digitos; alias vero, inter pollicem et reliquos digitos.

483. Ad discooperiendum et cooperiendum Calicem, sinistra ad cautelam (non ex *praecepto*) super pedem eius ponitur, et dextra palla de *cuppa* tollitur, aut super *cuppam* reponitur.

484. Pectus sibi percutit Sacerdos, manu dextera extensa digitisque coniunctis, ter ad *mea culpa*, sinistra infra pectus posita; semel ad *Nobis quoque peccatoribus*, et ter ad *miserere nobis* et *dona nobis pacem* ad *Agnus Dei* (sed non in Missis Defunctorum), sinistra super Corporali, ac ter ad *Domine, non sum dignus*, sinistra Patenam et Hostiam tenens.

§ V. — *De Altaris osculatione.*

485. Cum Celebrans Altare in Missae celebratione, vel in aliis functionibus sacris, osculatur, in medio labiis physice illud tangendo osculari debet, manibus hinc inde super ipsum aequaliter *extensis*.

486. Celebrans Altare osculatur antequam ad populum se vertat dicturus *Dominus vobiscum* et *Orate fratres*, sub Oratione *Aufer a nobis* ad verba *quorum reliquiae hic sunt*, in initio Canonis ad verba *uti accepta habeas*, sub Oratione *Supplices te rogamus* ad verba *ex hac Altaris participatione*, in fine Missae post Orationem *Placeat*, etiamsi non detur benedictio ut in Missa de Requie, et in Missa solemni antequam Diacono det pacem.

487. Item Celebrans Altare osculatur in Vesperis solemnibus sub initio *Magnificat*, antequam thus imponat, et:

488. Cum prima vice Altare ascendit in benedictione Candelarum, Cinerum et Palmarum, in Officio Feriae VI in Parasceve et Sabbato sancto, ante Prophetias.

§ VI. — *De oculorum elevatione.*

489. Oculi ad Crucem Altaris¹, eandem aspiciendo, eleventur, statimque dimittantur (praeterquam ad *Offerimus*) ante *Munda cor meum*, ante *Suscipe sancte Pater*, ad integram Orationem *Offerimus* in oblatione Calicis, ad *Veni Sanctificator*, ante *Suscipe sancta Trinitas*, ante Praefationem ad verba *Deo nostro*, in initio Canonis ad *Te igitur*, ad verba *et elevatis oculis in coelum* ante Hostiae consecrationem, et ad *Benedicat vos omnipotens Deus* in fine Missae.

490. Sub utraque elevatione, oculi continenter ad SS. Sacramentum intenti teneantur. Idem valet ad Memento Mortuorum, per totum *Pater noster*, quando sine cantu dicitur, in tribus Orationibus post *Agnus Dei*, et quoties actio exercetur circa SS. Sacramentum.

491. Si expositum sit SS. Sacramentum, oculi non ad Crucem, si adsit, dirigantur, sed ad SS. Hostiam quoties eleventur.

§ VII. — *De voce seu pronuntiatione in Sacrificio Missae.*

492. In celebratione Missae Sacrificii, sicut in aliis sacris functionibus, vitanda est, quoad pronuntiationem,

¹ S. Rit. C. 22 Iulii 1848, in Adiacen.